UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, 1637

S. Bona Virgo. 24. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Visual Library

ipſomet Imperatore CHRISTO, caput iterum coronandum ſecuri ſubdidit; cùm priùs ad ejus imperium corruiſſent omnia Numinum ſimulachra, & cacodæmones ſe eſſe, non Deos, ultrò edixiſſent, veriſſimo omnium, quod unquam dederunt, oraculo. *Ex Metaphr.*

Deus ipſe omnium rector ac Dominus cum omni Angelorum militiâ certamen tuum expectat, tibiq; contra Diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. S.Amb. in Epiſt.

S. BONA VIRGO. 24.*Aprilis.*

AGe virgo anime. hæ tibi leges feruntur. Lecto pudico cubato. Veſtis cilicium eſto. Ut latrones domeſticos effugias, pudorem peregrè ad Divûm templa circumferto. Nempe duras, ais, & verè æreas leges fixiſti. Quid vis dicam? Tu non potes quod iſti & iſtæ? addo quod virguncula BONA potuit, cui vix ſeptenni has leges ipſe ſummus Legiſlator Chriſtus tulit, annuente & probante virgine animo. quid? quòd ultro non lecto ſed ſtramine involvit pudorem, ſi non tam molliter certè ſecuriùs dormiturum? quòd non ſemel ſed decies ex Italiâ ad S.Jacobi ſepulchrum in Galæciam abiit? quòd tres omnibus ſeptimanis dies non niſi pane & aquâ traduxit, & reliquis, quibus opiparè vixit leguminibus vixit, etiam tunc, cùm ab Hieroſolymitano itinere & longâ Saracenorum captivitate redux continuâ febri laboravit? Superi! quis noſtrûm ægro corpuſculo facit tam ægrè? Nimirum Virgo facit, ut periclitanti pudicitiæ medicinam faciat. Et arriſit his ſtudiis Chriſtus ipſe, qui Jeroſolymæ ad ſepulchrum ſuum orantis BONÆ capiti ter manum ſuam impoſuit, &

poſt

poſt quadragintadiale jejunium traductum, in eadem eremo à Virgine, in quâ ipſe traduxerat olim, annulo ſibi viſendus deſponſavit, multiſque aliis miraculis ornavit. Ultimò è vitâ BONA inter riſum cantuſque abiit. Quid miraris lector? dum vixit, flevit. *Ex Bzovio* 13. *tom. ann. Eccl.*

Fidelis & religioſus animus ea, quæ ſunt cæleſtia, concupiſcat, & divinarum promiſſionum avidus in amorem ſe incorruptibilis boni & in ſpem veræ lucis attollat. S.Leo Papa in Ann.Aſſump.ſuæ ſerm.2.

S. MARCUS EV. 25. *Aprilis.*

MARCVS ut primùm res Chriſti geſtas litteris conſignavit, à Petro Alexandriam legatus eſt: cum ipſo etiam Evangelium in urbem penetravit. Cùm enim ſub portâ Anianus cerdo detritas Apoſtoli ſoleas reficeret, ſubulâque in lævam exerrante, Deum, ut ſit in adverſis, inclamaret, MARCVS vulneri remedium fecit, & Anianum magno operæ pretio ad Chriſti Religionem traduxit. Sed cùm ob quotidiana fidei incrementa MARCVS inſidiis appeteretur, Anianum pro ſe urbi Epiſcopum dedit, ipſe Pentapolim abiit. Indidem biennio pòſt Alexandriam rediit, ubi ad aram ipſe Dominicæ Reſurrectionis feſto die captus raptatuſque per urbem, Paſchalis pro Chriſto factus eſt victima. Eâ nocte Angelus nomen ſuum Marco albo Cæli inſcriptum monſtravit, & Chriſtus ipſe magno præſens fuit ſolatio: poſterâ luce cum laqueo gula implicaretur, tam citò conſtringi non potuit, quin celerior anima ad Superos evolaret. Cadaver ne tortores exurerent, coorta repentè tempeſtas rogum omnem cum buſtuariis disjecit. Nunc de illius tumulo Italia Germa-

niaque